



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 143. An resignari possit Beneficium vel titulus, super quo quis est ad majorem Ordinem promotus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

tendat se habere jus in beneficio, potest hoc jus præ-  
tensum renuntiare, *Paris.*, & habens jus ad rem,  
v. g. per electionem, potest hoc jus pure dimitte-  
re. Vide *Leur.* q. 303. potest quòque beneficium  
etiam in favorem resignari ante expeditas bullas;  
ante publicationem resignationis, per quam acqui-  
sivit; ante captam possessionem, *Paris.* *Leur.* q. 304.

981 §. VII. Si alicui concessus sit regressus ad bene-  
ficium, dum vacabit per cessum vel decessum, resi-  
gnari non potest, sed si possidens cedat vel decedat,  
subintrat regressus, *Barb.* & alii. Vide *Leur.* q. 300,  
qui q. 302. plura habet circa hospitalia, præcepto-  
rias & beneficia Melitensium.

982 §. VIII. Beneficium litigiosum potest simplici-  
ter dimitti coram Ordinario vel etiam Notario;  
quamvis non actuario, modò fiat mentio de liti-  
pendentia: nec regula de subrogandis habet locum,  
nisi colligans habeat à Papa confirmationem sui ju-  
ris; unde si alter tum ingrediatur possessionem va-  
cuam, non attentat, quia desit litigiositas, hinc  
etiam hic resignare poterit. Si autem lite adhuc  
pendente fiat resignatio coram Ordinario, valet,  
sed Ordinarius conferre non potest, nec alium col-  
litigantem surrogare, quia beneficia litigiosa sunt  
reservata Papæ per Cap. 1. & 2. *Vt lite pendente*,  
in 6. Si resignatio fiat coram Papa absque narra-  
tione litis, invalida est; quod verum esse dicit *Pa-  
ris.*, etiamsi Papa motu proprio conferret, non fa-  
ctâ mentione litis. Vide *Leur.* q. 308., & dicta n.  
526. Si tamen resignatio sit facta ante litem ince-  
ptam circa titulum beneficii, possunt resignata-  
rio expediri litteræ, & etiam capi possessio penden-  
te lite, *Abb. Imol. Az. Paris.* Vide *Leur.* n. 6.

983 Q. 143. An resignari possit beneficium vel ti-  
tulus, super quo quis est ad majorem Ordinem pro-  
motus. R.

§. I. Voluntariè resignari non potest benefici-  
um nequidem apud Papam, super quo quis ad ma-  
jorem Ordinem promotus est, nisi hæc duo nar-  
rentur, & quodd eo titulo fit ordinatus, & quodd ali-  
unde habeat, quo vivat, aliàs resignatio est irrita,  
*Trid. Sess. 21. c. 2. de Ref. Et si Ordinarius resignatio-*  
*nem, in qua hæc non narrantur, admittat, benefi-*  
*cium per Constit. Pii V. vacat ac devolvitur ad Pa-*  
*pam, teneturque Ordinarius de propriis providere*  
*resignanti, Paris. Garc. Tond. Nicol. Quamvis au-*  
*tem ipse Papa admittat, est irrita, & resignans re-*  
*tinet jus, poteritque Ordinarius de eo beneficio di-*  
*sponere, si resignans decedat in mense Ordinarii,*  
*Garc. Tond. Nicol. Dixi, voluntariè, nam si re-*  
*signatio aut privatio inducatur à jure, v. g. ob affe-*  
*ctionem alterius impossibilis, valida est, nec*  
*opus ista narrari, Garc.; tale tamen beneficium*  
*surrogatum pro titulo resignari non potest, nisi ista*  
*pariter narrentur, quia surrogatum hic habet natu-*  
*ram illius, cui surrogatur, L. § eum. §. Qui injuria-*  
*rum, ff. Si quis cautioni, Gutt. Garc. Chok. Et di-*  
*sposuit etiam Pius V., ut nec aliud beneficium, su-*  
*per quo non est ordinatus, resignetur, nisi aliunde*  
*habeat unde vivat, Paris. Garc. Vide Luca de be-*  
*nef. disc. 37. n. 14. De permutatione dicetur n. 1103.*

§. II. Etiam dimitti non potest titulus patri-  
monii, super quo quis ordinatus est, *Trid. supra:*  
soletque requiri juramentum non resignandi, nisi  
aliunde provisum sit de honesta sustentatione ac sci-  
at approbetque Episcopus. Vide *Leur. p. 3. q. 305.*  
& seqq. Similiter pensiones constitutæ loco benefi-  
cii, super quo quis est ordinatus, resignari non pos-  
sunt, cum sint ad necessitatem sustentationis. Vide  
*Leur. q. 309*

Q. 144. Quinam resignare possint beneficium. R. 985

§. I.

984

985